

*Atqui In Resurrectione Salvatoris nostri tota nostra  
salus & Redemptio unice acquiescit.*

*E. Resurrectio Salvatoris nostri sanè non neganda,  
sed firmitè credenda & asserenda est.*

### *Corollarium.*

*Quidnam Messias redi-vivus per dies illos 40.,  
qui, juxta scripturam, inter Resurre-  
surrectionem ejus gloriosam & Ascen-  
sionem Majestaticam interceserunt, di-  
xerit feceritque?*

*Resp. In genere Christus I. vivum se exhibuit, non tantum  
Discipulis suis, Resurrectionis futuris praconibus, sed & multis al-  
iis ejusdem testibus 1. Cor. 15, 6. scilicet, ut fideles dubitantes &  
suspicientes Luc. 24, 38. & 39. corrigeret, eosque & eorum po-  
steros, Christianos omnes de Resurrectionis suae veritate con-  
firmaret. II. Sermones fecit ad Discipulos & reliquos de regno  
Dei. Act. 1, 3. Argumentum horum sermonum tradit Lucas  
c. 24, 27. & 44. & seqq. Nimirum non tradidit nova dogma-  
ta, quae non scribenda, sed ore tenens tantummodo propagan-  
da essent: Vti Pontificii delirant. Sed explicavit scripturas  
de passione, morte, resurrectione & Ascensione Messiae ad coe-  
los, easque à corruptelis & somniis carnalibus Pharisaeorum,  
imò ipsorum Apostolorum, de regno Messiae temporali vindi-  
cavit solidissime.*

*In specie autem notatur ab Evangelistis Instructio & emissio  
Apostolorum, eos Christus ad universas gentes ablegavit, facta  
in monte quodam Galilaeae, qui à plerisque mons Thabor fu-  
isse putatur. Huic instructioni verò Christus fundamenti loco*

*C*

*con-*